VOCATIO DIVINA,
SEV
MEDITATIONES
ſuccinctæ in illud Apoſtoli,

ROM. 1. 7.

Ἀγαπητοῖς θεοῦ, Κλητοῖς ἁγίοις.

Auctore FRANCISCO TAYLERO *Anglo.*

BIBLIOTHECA BODLEIANA



LONDINI.
Excudebant B.A. & T. FAVVCET, impenſis
NATHANIELIS BVTTER.
1627.

Collator.

Defin. 11.

Nullius laudis eſt, ac meriti, ſi id in nobis Dominus, quod ipſe donauerat, prætulerit.

Prosper.

Impius ſenſus, qui putat beatiorem eſſe hominem, cui Deus nihil dederit, quàm cui vniuerſa contulerit.

Collator.

Defin. 12.

Dominum protectorem, quòd prior aduocat: ſuſceptorem, quòd adnitentibus nobis opem ferat, refugientesq́ ſuſcipiat, proclamamus.

Prosper.

Huic ſententiæ is poteſt præbere conſenſum, qui ſe a Chriſto non vult eſſe ſaluatum.

A

ORNATISSIMO VIRO DOMINO ROBERTO HETH *Regiæ Majeſtatis Atturn: Generalis.* S.

IN conſtructionem Tabernaculi (Ornatiſſime Vir) vt divitũ gazæ, gemmæque; ita pauperum pelles & vellera non ſine acceptatione divina Moſe judice offerebantur. In Domini gazophylacio inter dona divitum viduæ *Exod.* 35. *Luc.* 21.

duæ λεπτὰ δύο non ſine ſum-
ma commendatione Chriſto
iudice reperiuntur. Volun-
tatis exceſſum in offerentibus
potentiæ defectus arguit. Nec
non laudandus animus, qui
vt deum decoret, ſe dedeco-
rat. Hac ego fretus fiducia
fœtum hunc minutulum in
eccleſiæ (vt ſpero) emolu-
mentum in publicum expo-
nere non ſum veritus. Nec
deterret, quod verè dici po-
teſt, doctiſſimos pleroſque in
hoc campo Martio non ſine
laude deſudaſſe: non enim
ſolet vel perſpicaciſſimus
hoſtis rimas omnes inſequen-
tibus occludere, ſed quaſdam

vel

vel inuitus ſecuturis permittere. Poſſunt quandoque mures, quod non poſſunt leones. Poteſt & pes, quod non poteſt oculus. Indoctis ſicut doctis vtitur Deus, vt vniuerſorum datori vniuerſorum gloria concedatur. Quis Proſpero vitio vertat, quis Fulgentio, quód poſt tot exantlatos Auguſtini labores paruo volumine ijſdem penè veſtigijs inſiſtentes Pelagianis ſeſe opponere auſi fuerint? Quis mihi, quòd poſt tot lumina ſolaria aſtrum nocturnum aduerſus Pelagij nepotes bellum breuiter inſtaurare audeam? Peregrino ſcripta ſunt

hæc idiomate patrium poſteà forſan viſura, ſi doctorum palatis arridentia doctis digna, populo non indigna videantur. Tibi, Domine, ſeſe offert ſupplex hic libellulus velut cohortis meæ Militi primario, & gregis mihi commiſſi (qui nihil ferè memorabile continet, niſi quòd tantum intra proprios parietes habeat propugnatorem) Anteſignano, teque orat, vt ſub tuo patrocinio publicum grati erga te animi teſtimonium extet, ſubque Atturn. Regij clientela per omnes regni huiuſce prouincias contra maleuolorum molimina

armatus incedat. Valeas, viuas, fortiter agas, religionis cauſam viriliter promoueas: teque tuoſqu: Deus optimus Maximus in ſeculo tum præſenti, tum futuro beare dignetur. Clapham.

Iun: 24. 1627.

Dignitati tuæ

addictiſsimus

Fran: Tayler.

Errata typographica

Sanctificati. pag. 2. lin vlt. *Haymo in locum*. p. 3. lin. 15. in marg. indignus. p. 6. l. 9 *ἀποδοῦναι* p. 12. fin. in marg. ne e. p. 15. l. 15. Promiſſiones. p. 17. l. 16. e terra, affert. p. 35. l. 22. conciones. p. 37. l. 16. Iun. *Pſ*. 32. 6. p. 47. in marg. demonſtrate, p. 48. lin. 1.

Vocatio

Vocatio Divina.

ROM. I. 7.

Omnibus qui Romæ eſtis, dilectis Dei, vocatis ſanctis.

PLaniùs & pleniùs ſe Romanis, quàm Hebræis communicat Apoſtolus (ſi modò Pauli ſit, quæ ad Hebræos inſcribitur epiſtola) illìc enim nomen ſuum reticens hìc retegit. Illa quippe ex amore, hæc ex officio nata epiſtola. Illic fundum alienum, hìc ſuum ingreſſus videri potuerat. Nec Petri patrimonium ad Romanos ſcribens ingreditur Paulus, non enim Petri, ſed Chriſti ſervum ſe & Apoſtolum ſcribit, nec Petri ſed ſuum gregem Romanos inter Gentes reliquas agnoſcit. Romanos omnes ſalutat Apoſtolus ſummi, infimi ordinis homines, ne magnates Apoſtolum cum ſalutatione ejus flocci pen-

Sedul. in verſ. 1. huius cap.

Verſ. 1.

Haymo. in verſ. 6.

penderent, aut minorum gentium ordines ſe ab Apoſtolo contemptos & inſalutatos meritò quererentur. *Quamvis Romanis ſcribat, tamen* (vt B. Ambroſij verbis vtar) *illis ſcribere ſe ſignificat Apoſtolus, qui in charitate Dei ſunt.* Romanis omnibus vt hominibus, & vt Gentibus Apoſtolatui ejus ſubditis benè velle Apoſtolum procul dubio eſt. Præcipuè tamen dilectos Dei ſalutat, quos vt Titum Suetonius, *delicias humani generis*, ita Dei *delicias appellare liceat*. Vocatos prætereà appellat, vt perſecutionis nebulas diuinæ dilectionis ſenſum impedientes vocationis iſtius ſplendor abigeret. Sanctos denique, ne dilectionis ſupernæ ſenſus, & vocationis conſenſus in ſecuritatis barathrum profundum præcipitaret. En in terris ſanctos, & apud Romanos, vbi nulli nunc habentur, donec è terris emigrauerint. Impura tellus, quæ ſanctos viuos non patitur, mortuos colit.

Ambroſius in locum.

Suet. Caſar.

Heu quantum a Roma Roma es mutata vetuſta?

Num prodigium in terris non ferendum ſanctitas? *Quidni autem ſancti, qui ſanguine & ſpiritu Chriſti ſunt ſanctificati?*

Piſc. in locum.

A dilectione Dei orditur Apoſtolus, ad vocationem pergit, in ſanctitatem concludit. Eſt igitur Apoſtolo judice vocatio terminus medius a dilectione Dei ducens ad ſanctitatẽ. Bonus homo Paulus, niſi quòd Caluinianus. Arminio crede, & ordine inuerſo progrediendũ erit. *Sanctis, vocatis dilectis Dei.* Scalæ cœleſtis gradus qui Paulo primus, Arminio eſt infimus. Hac via igitur ad cœlum non aſcenditur. *Sanctitas fidei præmiſſa vocationem, vocatio recepta Dei dilectionem peperit.* Sed dilectio in terris orta ad cœlum non ducit. Pulchrè Haymo, *Dilectis Dei dicit, 1. electis ad fidem & gratiam.* Vocatos ſanctos non intelligit Paulus ab hominibus aut a Deo ita appellatos, aut tales priùs exiſtentes: quorsùm enim ad ſanctitatem vocarentur ij qui priùs ſancti eſſent? Sed nec ſancti erant, ſed idololatræ Romani, priuſquam vocarentur. Nec inefficacitèr vocatos intelligit, ita vt ſi velint, ſancti eſſe poſſint, ſed ita efficaciter vocatos, vt vocationi diuinæ obtemperauerint, & iam ſancti facti fuerint. Haymonis verba proferam: vtut longiora ſint, ſenſum tamen Apoſtoli dilucidè expli-

Haymo in locum.

cant. *Qui erant peccatores & iniuſtiſſimi vocati ſunt ſancti.* I. *ad hoc electi & vocati ſunt, vt eſſent ſanctificati per baptiſmum. Tale eſt & illud, quod in cantico Zachariæ patris Ioannis Baptiſtæ, viſitauit, inquit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Non enim inuenit illam eſſe plebem ſuam, ſed viſitando & redimendo ſuam fecit eſſe.* Hactenus & dextre Haymo. Cui concinit vt antiquus, ita in plurimis fidus Græci codicis explanator interpres Syrus, dum coniunctione interpoſita legit, *Dilecti a Deo, vocati, & ſancti.* Sunt enim hæc beneficia a ſe inuicem diſtincta ordine prædicto nobis communicata. Concordat Apoſtolus, dum verſ. præcedenti Romanos hos non vocatos a Ieſu Chriſto, ſed *vocatos Ieſu Chriſti* appellat. I. ita ab eo vocatos, vt ad eum acceſſerint. *Qui Dei beneficio eſtis Ieſu Chriſti, ſiue in Ieſu Chriſto adoptati.* Beza. Se quoque Paulus profitetur *vocatum Apoſtolum* verſu. I. id eſt, vocatione diuina factum. His non abs re (vti ſpero) prælibatis, iam ad propoſitum accedamus.

חביבוהי דאלהא קריא וקדישא

Κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ. κλητὸς *hic nomen eſt, non participium. Anglice.* The called of Ieſus Chriſt.

Beza in locum.

De vocatione diuina diſſertationẽ inſtituenti tria hic ab Apoſtolo conſideranda offeruntur. Vo-

Vocationis ſc: iſtius — 1. Origo, *Dilectis Dei*. 2. Modus, *Vocatis*. 3. Scopus, *Sanctis*.

Vocationis origo eſt Dei dilectio. Vbi duo diſcutienda obijciuntur. 1. quis ſit, qui vocet? Deus. 2. quamobrem vocet? ob dilectionem ſuam. non fidem aut merita humana præuiſa. Deus eſt qui ſuos e fæce mundi ad ſanctitatem vocat. In locis varijs hac de re varius non eſt Apoſtolus. Idem eſt ad Corinthios, qui ad Romanos fuerat. Ibi enim vocationem debilium præ fortibus, pauperum præ diuitibus Deo ſoli aſcribit. *Vocationem veſtram videtis fratres* &c. *Deus autem elegit*. &c. Nec aliter Iudæi docti, quorum Gentium doctori concinit Apoſtolus, *Sancti ſitis, ſicut qui vos vocauit, ſanctus eſt*. 1.Cor.1.26 27. 1.Pet.1.15. 16.

Ex omnibus orbis regionibus vocandi ſunt electi. Quis autem eos ex omnibus euocauerit, niſi qui in omnes autoritatē habuerit? Hoc argumento Apoſtolos inſtigat Saluator, vt in omnes terræ oras Euangeliū prædicaturi, animaſq; lucrifacturi proficiſcantur, ab eo ſcilicet miſſi, *qui omnem poteſtatem in cælo & in terris ſibi cōmiſſam habuerit*, ideoq; ſuo iure ex *Argu*. 1. Math.28. 18.19.

omnibus terræ regionibus homines e-vocare, eoſque in cœlo collocare poſſit.

Argu. 2. Deus eſt contra quem peccauimus, & a quo peccantes auſugimus. Quis autem nos ad deum omnipotentem, nobis iratum reuocauerit, niſi Deus ipſe ſceptrum ſuum aureum extenderit? *Tectum Centurionis indignum eſt, quod Chriſtum recipiat. Centurio in dignus eſt, qui ad eum veniat, Hoc eſt vtrunque devoti, quia & ad ſe Deum venire indignum ducit, & ſe accedere ad eum ſcit non eſſe dignum. Quis intrat ad Iudicem non vocatus? quis non iuſſus ingreditur ad regem? quantò magis ad Deum non venit quis non vocatus? Centurio non refugit adventum Domini, Chriſti præſentiam non recuſat, ſed agit vt vocantis ſit gratia, non ſit temeritas præſumentis*: Præclarè Chryſologus. Sub arbore latitat Adamus peccator, nec prodire in conſpectum audet creatoris, dum voce diuina evocatus appareat. Adeò deprimit peccatorum ſarcina, vt vel Angelo inuitante ad thronum cœleſtem accedere vereatur peccator. Verbum Dei ſolius ſolum eſt, quod trepidanti conſcientiæ in patris cœleſtis gremium fidenter ſe recipere perſuadeat.

Chryſol. Ser. 102.

Gen. 2.

Cœleſtis

Cœleſtis rex eſt, qui filij nuptias celebrans conuiuas inuitandi ius habet. Seruos ille ſolus emittit, qui conuiuas congregent. *Argu.* 3. Math. 22. 1.

A terræ regibus Duces, Comites, Barones, Equites creantur, a cœli domino ſolo creantur ſancti. Ius ſanctos creandi arroganter ſibi vendicat Romanus pontifex, vt ſe vno actu τὸν ἀντικείμενον, καὶ ὑπεραιρόμενον illum, Deo ſe opponentem, regibus ſe præponentem. 1. Plenè Antichriſtum eſſe proclamaret. Habeat Deus cœli ſanctos ſuos, habet & Pontifex ſuos. Honores terrenos terreni reges conferant: vilia nimis ſunt hæc aſſeclis papalibus munera: cœlum ſolet ille ſuis dare, ſuper ſolum evehere, ſolium perinde ac ſolum contemnere. Sed bene ſe res habet. Habent enim Dei ſancti cœlum ſuum, papales autem ſuum. In cœlum ſupernum ſanctos nullus admittit, niſi *qui clauem habet Danidis, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Ordinem ſuum habet vnaquæq; regio: nos aureæ periſcelidis equites, Belgæ aurei velleris, &c. ſanctos ſuos ſola habet eccleſia. Nobiles facit diploma regium, qui ignobiles priùs fuerant; ſanctos facit *Argu.* 4. 2. Theſ. 2. 4. Apoc. 3. 7.

cit vocatio diuina, qui prophani prius fuerant. Inſigne tamen eſt inter vocationem diuinam & regiam diſcrimen. A regibus exaltati honoris faſtigium morum turpitudine ſæpiſſime polluunt. A Deo vocati mores pios honoribus nouis congruos cum ipſa ſimul vocatione acceperunt. Habuit olim in Gallijs papa ligam ſanctam patri ſuo per omnia ſimilem, quæ ferro, flammiſque Dei ſanctos extirparet. Habet & Deus li-
1. Pet. 2. 9. gam ſanctam ſibi conſimilem, quæ vocantis virtutes per omnia exprimat.

Attendite huc omnes, qui Deum vocantem percipitis. Deus eſt qui vocat. Vocante Domino ſeruus ludicra, ſeria, quæcunque deſerit. Dominum audit: audito reſpondet: reſpondens accedit: accedens quod imperatur agit. Te Deus ad conditionem ſanctorum inuitat. Tu reſtitas? Hæſitas? Quid eſt quod Domino vocante ſeruum retardet? *Au-*
Gen. 3. 10. *diui vocem Domini, inquis, & timui: nudus ſum, ideoque me abdidi. Peccator ſum. Terret delicti conſcientia. Metuo ne ad tribunal vocatus in carcerem conijciar.*

At non vocat Deus vt damnet, ſed

vt

vt ſaluet. Non vt impurum perdat, ſed ut purum faciat. Animæ cruciatus auferet, qui eſt animæ medicus, ſi ad eum inuitatus acceſſeris. Aliter alter (prout diuerſa ſunt hominum ingenia) *Egone vt carnis fomenta, mundi delicias, opes ſeculi, titulos ſplendidos, amicorum ſodalitia, oblectamenta propria ſpreuerim, dum Domino inuitanti totum me trado? Annon ſatius fuerit Dominum eſſe, quàm eſſe ſub Domino? Annon proprijs præſtiterit vacare delicijs, quàm dominicis irretiri moleſtijs? Annon magis iuuerit præſentibus perfrui, quàm futuris inhiare?* Apage Satana. Annon Ioabi hic digitus? 2. Sam. 24. 20.
Abrahamum patrē fidelium interroga. Vocat Deus: reſpondet Abrahamus. Iubet Deus: obtemperat Abrahamus. Terra patria, domo paterna cedere, propinquos deſerere, affinibus valedicere, ſolum natale relinquere mandat. Cedit Abraham, deſerit, valedicit, relinquit. Quid relinquendum ſit, videt: quid ſequendum, non videt. Deo duce nauem aſcendit, vt ad portum ignotum perducatur. Tu Abrahami filius Deo vocante hæſitas? Tu Dei ſeruus Deo iubente non properas? Solum cælo præponis? Gen. 12.

nis? Puritatem impuritati poſtponis? Cutem curas, ſalutem negligis? Theſauros quæris, animam abijcis? Domini vocem agnoſce. Serui curam adhibe. Animæ ſalutem promoue. Dicente Domino, faciem meam quærito. Reſonet anima tua, Faciem tuam quæram Domine. O nos ſælices ſi Domino vocanti auſcultauerimus: infælices ſi Deum vocantem ſerui ſtupidi contempſerimus. Atque hæc de vocante dicta ſuffecerint, ad vocationis cauſam diſcutiendam pergamus.

Pſal.27.8.

Dilectis Dei. Vnica vocationis cauſa eſt dilectio diuina. *Paulum quem a matris ſuæ vtero ſegregauerat, vocauit etiam, ſed per gratiam ſuam Deus.* Et ne Paulo hoc peculiare videatur, Timotheum comitem adiungit. *Vocauit nos*, inquit, *vocatione ſancta.* Fontemque vocationis huius deſignat, *ex ſuo propoſito.* Et nequis propoſitum hoc hominis voluntati ſubijciat, ſubiungit, *Et gratia.* Nec ex gratia beneficio præeunti reddita, ſed *data*, non omnibus, ſed *Nobis*, non iam natis & in rerum natura conſtitutis, ſed *ante tempora ſeculorum.*

Gal.1.15.
2.Tim.1.9.

*Argu.*1. Eadem eſt electionis & ſelectionis cauſa:

cauſa: eadem vocationis ante mundum & vocationis e mundo origo. Hinc *propoſitum Dei ſecundum electionem ex vocante firmum manens*. Vocat Deus quos elegit ipſe: vocat etiam prout ipſe elegit. *Benedixit nobis omni ſpirituali benedictione, ſicut elegit ante jacta mundi fundamenta*. Eſt igitur electio ſelectionis ſons. Electionis autem origo Dei dilectio. Hinc de electione Apoſtolus, *cuius vult, miſeretur*. Hinc vaſa miſericordiæ dicuntur electi. & quod omnem ſcrupulum adimat, a deo, non a ſe præparata ad gloriam. Ad gratiam verò multò magis, plus enim poteſt iam credens ad gloriam, quàm non credens ad gratiam comparandam.

Rom. 9. 11.
Ephes. 1. 3. 4.
Rom. 9. 18.
Rom. 9. 23.

Vocationis diuinæ qui aliam præter Dei dilectionem cauſam quærit, neceſſe eſt, vt vel præcedentem vel ſaltèm præuiſam fateatur. Præcedentem agnoſcere eſt humanæ miſeriæ barathrum ignorare. Qui ad inferos indiès magis declinat, vocationem cœleſtem qua ratione provocauerit? Sed in poſterum ſpes eſt aliqua, vt quod non potuerint præcedentia, poſſint præuiſa. Atquì ex arbore mala fructum bonum præuidere, niſi ei qui

Argu. 2.

qui arboris naturam mutare poſſit, velit, ἐχαρίσθη Phil. 1. 29. Τῶν ἀδυνάτων ἐστί. Gratis data eſt fides, præuiſa igitur vt vocationis cauſa non eſt. Abſurde ſcilicet ſenſu Arminiano præuideri dicitur, quod dari intenditur, quodque niſi detur, præuideri non poteſt. Ingrati eſt dicere, ideo rex dedit, quia recepturum me prænouerat. Beneficentiæ regiæ detrahere hoc eſſet: arrogantiam profiteri ſuam; accipientis manui nimium tribuere, non integrum Aug. de Peccat. orig. cap. 24. dantis deferre liberalitati. *Gratia non eſt gratia vllo modo niſi ſit gratuita omni modo*: vt recte Auguſtinus.

Argu. 3. Ad hæc ſi præter dilectionem diuinam vocationis diuinæ ratio alia aſſignetur, inter vocandos & non vocandos differentia aliqua ſtatuatur, neceſſe eſt, qua his illi præſtare intelligantur. Ita tollitur vocationis ratio gratuita, nec huic gratuito plane datur, quod ſine incongruitate ſaltem aliqua dari illis, his denegari non potuit. Hoc ſimili declaratum clarius elucebit. Ambiunt Magiſtratum duo: quorum alter idoneus, ineptus alter. Magiſtratum idoneo dare potius quam inepto illi vix dare [illegible] ſed [illegible] proprie diceretur, cum inepto concedere peccare

peccare foret. Vbi autem ex æquo vterque vel idoneus, vel ineptus eſt, huic præ illo dare gratiæ reuera eſt. Differentiam inter vocandos excogites, vocationis gratuitam rationem abſtuliſti. Æquales concedas, vocantis gratiam prædicaſti. Fælicitas piorum quoque inæqualitate priori tollitur, & merita incredulorum quodammodo ſtabiliuntur. Non dicitur fælicitas, ſi contingat quod meritis debebitur. Flaccus enim negat ſe hoc nomine fælicem appellandum, quod a Mæcenate in amicorum numerum virtutis ergô adoptatus eſſet.

Horat. Ser. l. 1. Sat. 6. & Eraſ. colloq. tit. Conv. ſeu Medard.

Argu. 4.

Denique qui præter amorem Dei, electionis aut ſelectionis originem in homine quærunt, ordinem inuertunt. Non hominem Deus, Deum homo vocaret, inuitaret, contra plane Chriſti ſententiam, *Non vos me, Sed ego vos elegi*. Sponſæ pulchritudo eſt, quæ ſponſum inuitet. Hinc καλὸς pulcher a καλῶ, quia omnium oculos ad ſe inuitat. Iam homo magnes eſt, ferrum Deus. Deum ad ſe e cœlis homo, non hominem ad cœlos attrahit Deus ſcilicet. O profundam Philoſophiam. Reperit ſc. in homine corrupto Deus puriſſimus, quod Deum ipſum caperet. Primum mobile in terris inueni-

Ioh. 15. 16.

καλὸς παρὰ τὸ καλῶ, ἐκ τοῦ καλεῖν πρὸς ἑαυτὸν ἕκαστον. Etymol.

mus, quod non corpora cœleſtia, ſed ipſum primum omnium motorem moueat. Redeat iam Copernicus ſuo ſeculo rerum nouarum curioſus artifex. Diſcipulos ſuos videat, rideat. Terra iam mouetur, cælum quieſcit. Terra in cœlum, non cœlum in terram agit. Homo Deum, non Deus hominem regit, dirigit.

Duo iam nobis Hydræ Arminianæ capita ſunt exſcindenda: vocationem præcedens ſimplicitas, & præuiſa fides. Vtramuis eligas, & corruit vocationis ratio gratuita, dilectio diuina eleuatur. *Simplicitas conditio eſt, in qua Deo complacitum eſt* (extra Chriſtum ſcilicet: contra quam Math. 3.17.) *Ideoque ipſis reuelata eſſe, quæ ſapientibus iuſtè abſcondita ſunt* : Simplex ratio. Ieſum noui, & Paulum agnoſco, vos autem paruuli & ſimplices extra Chriſtum qui? Dicite ſimpliciter. Vos eſtis qui Dei vocationem prouocatis. Confidenter dicite. *Non ideo vocauit nos Deus, quia præ alijs dilexit, ſed quia paruuli & ſimplices, non ſuperbi & tumidi fuimus.* At veremini fortè, ne hæc ſimplicitatis & humilitatis profeſſio inſignis arrogantiæ ſit:

Greuinchou: vid. Ameſ. reſc. contr. p. 23.

Act. 19. 15.

ſit: Sicut Franciſcanos introducit Eraſmus Canticum Beatæ virginis exponentes, *Merui fieri mater Dei per modeſtiam*. Se autem, inquit, non dominum hoc eſſet magnificare. Simplicitatis ergó veſtræ gloriolam reijcite, dilectioniſque diuinæ ex qua vos vocauit, amplitudinem agnoſcite. Vos interim qui fidei præuiſæ nubibus beneuolentiæ diuinæ ſolem obducitis, prælio vos accingite. Vnde hæc veſtra fides? Aut e cœlo deſcendit, aut e terra prodijt. Si e cœlo deſcendit, eſt ex dilectione diuina. Si e terra prodijt, terræ filia eſt, patrem cœleſtem haud refert: vereor autem ne e terris orta ad cœlum minime perducat. Quid fidei terrigenæ cum cœlis? Quàm cœci vos, qui digitum Dei ab oculo non diſcernitis, & quod prouidẽtiæ debetur, præſcientiæ nudæ tribuitis? Dici ſolet, *Fiat iuſtitia & ruat cœlum*. Hi ſunt autem qui de ſuo ne minimum quidem volunt concedere, etiamſi Dei cœleſtis gratia dilabatur. Hominum omnium iuſtiſſimi, qui vel Deum ipſum iniuſtitiæ poſtulant, niſi vocationis & electionis ſuæ ratio reddi poſſit, eaque eiuſmodi, quæ anguſto humanæ rationis gurguſtiolo

Eraſm. Coll. Conc. ſeu Medard.

olo poſſit comprehendi. Verùm iudex ſummus non eſt a quoquam iudicandus. Sufficit ei iudicare, cui non competit iudicari.

Atque hactenus de vocationis origine modus ſequitur. *Vocatis*. Duplicem agnoſcunt vocationem Theologi. Alteram externam, internam alteram. Hanc quæ corda, illam quæ aures attingat. Illam miniſtri prædicatione, hanc operatione diuina conſtantem. Scripturæ fundamentis nititur hæc diſtinctio. Eam qui negauerint, loca illa concilient. Math. 20 16. *Multi vocati, pauci electi*, & Rom. 8. 29. *Quos prædeſtinauit, vocauit: quos vocauit, iuſtificauit.* Alia proculdubio eſt vocatio ab electione non profluens, alia quæ è prædeſtinatione orta iuſtificationem producit; illius filia, huins parens. Sed rebus non dubijs inſiſtere nihil eſt neceſſe. Internam quippe vocationem fatentur, quibuſcum nobis intercedit hic controuerſia. De modo lis eſt. Qui poſt externam vocationem breuiter deſcriptam, ſuis limitibus eſt circumſcribendus.

Externam Dei vocationem duplicem agnoſci-

agnoſcimus: aliam in ſcripturis poſitã, aliam ex ſcripturis ijſdem per miniſtros verbi declaratã. Vocatio Dei quæ in ſcripturis eſt poſita proprie dicta exhortatio eſt, qua vt ad eum accedamus, vt credamus, vt conuertamur, nos inuitat. Qualis eſt in veteri teſtamento illa, *Quiſquis ſitit, veniat ad aquas*, &c. Et in nouo, *Venite ad me omnes, qui fatigati eſtis, & onerati, & ego vos reficiam*. Alia ſunt vocationem cõcomitantia, quæ eandem promoueant, vtpote comminationes, quæ reſtitantibus, vel auertentibus ſe terrorem incutiendo ad auſcultandũ & accedendum vehementius impellant. Promiſiones inſuper, quæ hominum animis emolumenti ſpem inijciendo vt vocationi pareant, quodammodo alliciunt. Exempla deniq; quæ in rebus maximis, magni ſunt ponderis, & ad imitationem extimulant. Non tamẽ in his ipſa cõſiſtit vocatio: diuinæ duntaxat ſunt exhortationes, quæ diuinã contineant vocationẽ.

Eſa. 55. 1.

Math. 11. 28

Vocat rurſus & per miniſtros ſuos Deus, *qui legati cum ſint Chriſti velut Deo per illos ſollicitante Chriſti nomine populũ vt Deo reconcilientur, orant*. Iſtis igitur commiſſum eſt reconciliationis verbum;

2. Cor. 5. 20

2. Cor. 5. 19.

Math.28.19 adiecta inſuper euangelium vbique terrarum omnibus prædicandi autoritate ampliſſima: poteſtate etiam ijſdem communicata venientes in eccleſiam recipiendi, & baptiſmatis ſigillo confirmandi. Ibid. Iure itaque vocare poſſunt, quibus venientes in Dei gratiam
Ioh.20.23. recipiendi. 1. Remiſſionem peccatorum credentibus confirmandi conceſſa cœlitus eſt poteſtas. In domum Domini credentes hi admittunt. E domo Domini
1.Cor.4.1. incredulos ſecludunt. Oeconomi ſunt, qui cibum cœleſtem populo diſpenſent Dominico. Vtile prorſus humano generi inſtitutum ſi ſcopum ſpectes: inutile ſæpiſſime, ſi euentum conſideres.
Hoſ.11.2. *Prout reuocant eos, ita abeunt: Bahalimis ſacrificant, & ſculptilibus ſuffitum faciunt.* His cum Propheta ſæpe excla-
Eſ.53.1. mare licet, *Domine, quis prædicationi*
Rom.10.16. *noſtræ credidit?* Nec fruſtra tamen prædicant, ſi vel vnam animulam e peccatis
Luc.15.7. reuocauerint. Magnum hinc in cœlis
10 gaudium. Immò verò veniant aliqui, veniant nulli, non ſine mercede prædicant. Pax cœleſtis ab audientibus etiam
Luc.10.6. faſtidioſe repudiata ad promulgantes magno cum fænore multiplicata redit.

De

De vocatione interna iam verba facienda. Eſt autem ea duplex: efficax, inefficax. Ab inefficaci ordiendum videtur, quia efficaci prolixiùs inſiſtendum. Habet interna hæc inefficax vocatio in intellectu operationem ſuam: habet & apud voluntatem, ſuam. Prior eſt, quæ vulgo illuminatio dicitur, quam Spiritus operationem eſſe nemo eſt, qui ambigat. Talis fuit porcorum illa & canum vocatio. Talis eorum, qui cœleſtibus deguſtatis, & Spiritus participes facti retrogradi poſteà fiunt. Nec eſt hæc propriè dicta vocatio, ſed ad eam potius præparatio: niſi forte ad veritatis profeſſionem vocatio appelletur. Huic Spiritus vocationi reſtitere Iudæi, qui Prophetas auditos perſecuti ſunt, & de veritate diuina internè conuicti externè tamen eam non ſunt profeſſi. Huius criminis eos reos ſiſtit Saluator de peccato in Spiritum ſanctum ad Phariſæos verba faciens, qui Spiritum impurum habere illum calumniabantur.

2. Pet. 2. 22.

Heb. 6. 4. 5.

Act. 7. 51.

Marc. 3. 30.

Habet & apud voluntatem operationem ſuam aliquam interna inefficax vocatio. Hæc eſt, quæ quandoque pulſatio haud inepte dicitur. Ad oſtium

Apoc. 3. 20.

Deus voluntatis ſtat, dum Spiritus ſui motibus, & conſcientiæ humanæ ſtimulis et prouocationibus hominis voluntatem mouet, nec actum tamen voluntatis gratia ſua determinat, ſed hominem ita prouocatum ſibi relinquit, vt propriam tantummodo miſeriam et impotentiam deprehendat. Tandem vero non admiſſus pulſare ceſſat, diſcedit Deus. Ita pulſat Deus, non autem intrat, quia clauſas fores reperit; nec aperire vel poteſt homo, vel tenetur Deus. Laodicenſium corda tetigit hæc pulſatio, quos tamen fores vnquàm Deo aperuiſſe non conſtat. Teſtor & vos, O peccatorum viliſſimi, annon ſicut Satanam ad peccatum prouocantem, ita Dei Spiritum a peccato reuocantem ſæpe experiamini?

Sed de vocatione inefficaci ſatis: efficax iam audiri ſe poſtulat. De hac præclare Proſper: *Si ad effectum plantationis & rigationis aſpicitur, aliud actum eſt cum eis, quorum exteriores aures corporali voce pulſatæ ſunt: aliud in eis, quorum interiorem ſenſum Deus aperuit, & in quorum corde poſuit fidei fundamentum, dilectioniſque feruorem.*

Reſp. ad cap. Gall. c. 5.

Non

Non eſt hoc forìs ſtare & pulſare, vt prius; ſed fores aperire, & intrare: ſicut Lydiæ cor aperuiſſe, non cor Lydiæ pulſaſſe Deus perhibetur. Aliud eſt autem peregrinum pulſare, aliud patrem familias claue propria ianuam aperire, atque intrare. Hæc eſt illa *vocatio Dei ſecundum propoſitum*, æternum ſcilicet, vti appellat Apoſtolus aliam ex appellatione ea eſſe vocationem innuens, quæ ab æterna ad vitam prædeſtinatione non fluat. Quinam autem ſint ſecundum Dei propoſitum vocati, dextrè Syrus explicat codex, *Illi* ſcilicet, *quos prædeſtinauit, vt eſſent vocati*. Hæc vt Græca, ita Syra fuit Theologia, Deum & quia & quos elegit, vocare; eoſque & ſolos efficaciter vocare. Hinc Paulo familiare electionem & vocationem ſi non confundere, coniungere tamen, & vocabulis iſtis promiſcuè vti, ita vt & res ipſas ijs deſignitas inſeparabiles eſſe vocabulorum vſu promiſcuo oſtendat. Tabulis obſignatis agamus. *Quos prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, glorificauit*. En prædeſtinationem vocationi, iuſtificationi, & glorificationi vt comitem, indiuiduè coniunctam. Hæc

Act. 16.14.

Rom. 8, 28.

לאילין דקדם סם דנהרון קרא

Rom. 8. 31.

nudæ & inefficaci vocationi non conue-
niunt. Radicem parem non agnoſcit,
fructus pares non producit. Sed forſan
alius alibi eſt a ſe Apoſtolus, nec per-
petuò ſibi conſtat. Audiamus igitur
Corinthios de vocatione iſta erudien-
1.Cor.1.26. tem. *Vocationem veſtram videtis fratres*
27. &c. Deus autem elegit. En vocationis
& electionis confuſa vocabula, vt res
inſeperabiles denotet Apoſtolus. Sed
quinam ſunt iſti, qui a Deo glorioſiſſimo
vocantur? Stulti, infimi, contempti-
biles. Vtique non vocarentur tales, ni-
ſi prius electi: non eligerentur, niſi pri-
us dilecti. Nec vocati venient ſtulti, in-
firmi, contemptibiles, niſi efficaciter
vocati. Si quid poſſint humani arbitrij
vires, docti & nobiles e meliore luto
formati, et melius plerunquè informa-
ti citius ad Deum vocati venirent. Sed
hæc infimorum electio et vocatio eli-
gentis vt dilectionem, ita vocantis effi-
caciam ob oculos ponunt. Petrum ad-
iungamus, vt ab vtriuſque Apoſtolo in-
formati quid vtraque ſenſerit eccleſia,
ſentiamus. Eodem verſu pios electos,
1. Pet. 2.9. ſanctos, vocatos nuncupat. *Vocauit vos*
Deus e tenebris in lucem ſuam mirabilem.
I.

1. Vocatione ſua e tenebris peccati extractos in fauoris ſui luce collocauit. En qualem Dei vocationem, Petrus docuerit. Non quæ ad lucem vocauerit, in tenebris autem reliquerit. Sed quæ vocando tenebras diſcutiat, & lucem animæ veram infundat.

Sed rationibus iam decertandum eſt. Ab orationibus autem piorum ordiendum. Qui vt mentis illuminationem, ita cordis renouationem a Deo precibus petunt. Præceptorum Dei intelligentiam, & ad præcepta eius, inclinationem animæ a Deo petit Dauid. Cui & illud Auguſtini conuenit: *Da Domine quod iubes, & iube quod vis*. Beatus Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus (vt refert Petrus Diaconus) in oratione ſacri altaris, quam pene vniuerſus frequentauit Oriens, inter cætera ſic orat: *Dona Domine virtutem ac tutamentum, malos quæſumus bonos facito, bonos in bonitate conſerua, omnia enim potes, & non eſt qui contradicat tibi, cum enim volueris ſaluas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ*. Qua oratione huic controuerſiæ finem breuiter impoſuiſſe doctorem egregium aſſerit Petrus Diaconus. A Deo enim petere

Argu. 1.

Pſ. 119. 35. 36. 37.

Aug. Conf. l. 10. c. 31.

De incar. & grat. D. N. Ieſ. Chr. c. 8.

tere quod in nobis poſitum eſt, voluntatis ſcilicet ad bonum agnitum inclinationem, inanis eſt, ne dicam ridicula precandi, ſeu potius Deum deridendi formula. Hoc & Ethnica agnouit Philoſophia: ſibi enim arbitrij libertatem tribuentes virtutem a Deo petere, aut eo nomine Deo gratias agere abſurdum eſſe vno ore pronuntiabant. Quod in perſona Cottæ pulchrè exprimit Cicero affirmantis, Quia ſibi quiſque virtutem acquirit, neminem ex ſapientibus vnquam de ea gratias Deo egiſſe. *Propter virtutem laudamur, in virtute gloriamur, quod non fieret, ſi donum eſſet Dei, non a nobis.* Ethnicorum igitur ſenſu liberum habere arbitrium, et a Deo virtutem petere aut ob eam Deum laudare inter ſe non conueniunt.

L. 3. de nat. Deor.

Argu. 2. Deinde opus ipſum vocationis, ſeu conuerſionis accuratius eſt introſpiciendum. Quæritur igitur an ſuadendo, an operando vocet Deus? Seu vt planius dicam, an omnipotenti manu ſua, an argumentorum duntaxat exhibitione animam conuertat? Si poſterius concedatur, ruit cauſa noſtra: Sin prius aſſeratur & rationibus euincatur, perit

rit cauſa aduerſa. Hìc igitur cardo conſiſtit controuerſiæ: hìc pes figendus, & manus cum aduerſario conſerenda. Operis diuini iudex ſit ſolus Deus, Habemus in hoc opere *potentiam*, eamq; Eph. 1. 18.
Dei, & *potentiæ magnitudinem*, *excellentem* illam quoq; *pro roboris ipſius*, *& fortis roboris*, *efficacitate in nobis qui credimus*, *operantem*. (Mirum qui cum hac efficacitate Arminianis conueniat.) Et adhuc manifeſtius, *potentiã illam quam exeruit cum Chriſtum è mortuis ſuſcitauit*. 19.
Nos e peccato ijſdem viribus quibus Eph. 2. 5.
Chriſtus e ſepulchro, excitamur. At hoc Dei factum omnipotentiâ quis eſt qui dubitet? Petrum quoque teſtem adhibemus: *Diuina Dei vis eſt, quæ omnia ad vitam & pietatem neceſſaria ſuppeditat*. Et quis non vires diuinas requiri iudicet, qui internam voluntatis deprauationem, & Satanæ actus, mundique illecebras, quibus opus hoc impediatur, penitiùs paulò introſpexerit. 2. Pet. 1. 3.
Hinc eſt quod a Deo trahi dicuntur, Ioh. 6. 44.
qui ad Chriſtum veniant, nec ad Chriſtum ſine hac tractione diuina quenquam peruenire poſſe, affirmatur. Aliud eſt autem trahi, aliud duci, ſicut

elegante

elegantèr Bernardus: *Diuerſa ſunt cæco ducatum, & feſſo præbere vehiculum.* Ducuntur cæci, qui ambulare poſſunt: trahuntur laſſi, qui ambulare non poſſunt. Ducuntur a Spiritu Dei ad cœlum credentes: trahuntur a Spiritu Dei ad fidem increduli. Veteris eccleſiæ Theologiam hìc inquirere haud abs re fuerit, & quid Primitiuæ eccleſiæ lumina de hoc Dei opere docuerint, inueſtigare. Ambroſij nomen gerentem ſcriptorem antiquum audiamus: *Sanitatem voluntatis non efficit niſi gratia Saluatoris, qui opus ſuum opere ſuo reparat. Quod in natura perijt, non reſtituitur niſi ab autore naturæ.* Addatur Proſper, cui & opus illud a quibuſdam tribuitur. *Non ſicut potuit homo Deo non impellente corruere, ita poteſt Deo non erigente conſurgere.* Auguſtinum etiam producat Proſper: *Liberum arbitrium amiſſum niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi.* Fulgentium quoque adiungamus: *Vt ſibi quiſque tribuat bonam voluntatem, qua velle incipit credere, non viuentis animæ vigor, ſed mortuæ carnis eſt tumor.* Et poſteà: *Sicut in natiuitate carnali omnem naſcentis hominis voluntatem*

De grat. & lib. arb.

Rom. 8. 14.

De vocat. Gent. l. 1. c. 7. & c. 8.

Contr. Collat.

Sent. Aug. ex lib. 14 de Ciuit. Dei, c. 1. & Con. Arauſ. 2. Fig. 13.

De incar. c. 18

Ibid. c. 19.

tatem præcedit operis diuini formatio, ſic in ſpirituali natiuitate nemo poteſt habere bonam voluntatem motu proprio, niſi interior homo reformetur à Deo. Vt & alibi : *Præueniente Dei miſericordia bonum velle incipit homo, & ſubſequente miſericordia bonum quod vult, facere valet. Vtrunq; autem prædeſtinando Deus præparauit in illa incōmutabili voluntate, in qua ſic futurum effectum hominis renouandi diſpoſuit, vt eius voluntas in opere nouo noua eſſe non poſſit.* Cui Petrum adde Diaconum : *prauas hominum voluntates & terrenis actibus implicatas per infuſionem & operationem intrinſecùs ſancti ſpiritus abſoluit Deus & corrigit.* Sed ipſum audire iuuat Auguſtinum : *Libero arbitrio malè vtens homo & ſe perdidit & ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, vtiq; viuendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non viuit, nec ſeipſum poteſt reſuſcitare cum occiderit, ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium. Cum Bernardo concludamus. Velle ex libero arbitrio eſt. Velle autem bonum profectus eſt. Velle malum defectus eſt. Liberum arbitrium nos facit volentes, gratia beneuolos. Ex ipſo nobis*

De Prædeſt. ad Mon. l. 1.

De incar. & grat. D.N. Ieſ. Chr. c. 8.

Enchir. ad Laur. c. 30.

De grat. & lib. arb.

eſt

eſt velle, ex ipſa bene velle. Et in eodem tractatu. *Crearis, ſanaris, ſaluaris: Quid horum tibi ex te homo? Quid horum non impoſſibile libero arbitrio? Nec creare qui non eras, nec iuſtificare peccator, nec mortuus poteras teipſum reſuſcitare.* Ex his facile colligere eſt, qualem, quamque potentem in vocatione noſtra operationem diuinam antiqui iſti agnouerint. Quibus ſi ſubiungatur, quod e Baſilij Cæſarienſis oratione prius citatum legimus, (*ſc: Malos quæſumus, Domine, bonos facito, omnia enim potes, & non eſt qui contradicat tibi. Cum enim volueris ſaluas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ:*) quid amplius deſiderari potuerit, planè neſcio. Hoc autem quod iam probatum eſt, poſito; Deum omnipotentèr in vocatione ſanctorum operari; quis eſt adeò perfrictæ frontis, qui opus hoc humana voluntate impediri poſſe arbitretur? Deum hoc eſt e ſolio ſuo deijcere, hominemque e ſolo in cœlum ſubleuare.

Pet. Diac. de incar et grat. D N. Ieſ. Chr. c. 8.

Argu. 3. Inſtituatur iam inter Dei, hominiſque opus comparatio, et vtrum ſit præſtantius poſito libero arbitrio conſideretur.

retur. In toto terrarum orbe homine nihil eſt præſtantius. Sed et malo nihil vilius, ſicut bono nihil melius. Præſtat non eſſe, quàm malum eſſe. Præſtat bonum facere, quam hominem facere. Sit igitur a Deo homo, a ſe bonus. Habeat a Deo voluntatem, eandem ipſe ad bonum inclinet. Annon Dei opus ab homine ſuperatur? Quantum varijs coloribus decorata pictura carbone tantùm delineatam ſuperet, tantum ab homine reformato formatus tantummodò ſuperatur. Opus igitur glorioſius in ſe efficeret homo, quàm Deus in homine. Homo enim a Deo fieret: a ſe autem, quod bonus. *Ita vt ſit homo, habeat ex Deo: vt autem melior ſit, habeat ex ſeipſo, ac ſic voluntatem bonitatis qua in Deum creditur, non diuina bonitas, ſed humana prauitas operetur:* Fulgentius. Vtrum laudabilius poſſe an velle benefacere? Vtrum laudabilius diuitias habere, an benè vti? Si potentiam bene agendi, aut gratiam recipiendi a Deo habeat homo, a ſe autem benè vult aut agit, reſtat opus humanum diuino non minùs præſtare, quam actus potentiæ, aut voluntas poteſtati

De incar. Chr. c.29.

poteſtati præferri ſolet. Exitus acta
Math.24.13 probat. Qui ad finem perſeuerat, ſaluus erit. Sine laude ædificat, qui benè
Luc.14.30. cæpit ædificare, ædificium ni perfecerit. Sit igitur Dei gratia cor illuminans fidei initiatrix, modo eam perficiat hominis liberum arbitrium. Plus arbitrio perficienti debebitur, quàm gratiæ initianti. Sicut nos plus Accademijs diſciplinarum ſtudium in nobis perficientibus, quam ſcholis initiantibus tribuere ſolemus, hiſque illas in orationum officio publico præponere. Chri-
Heb.12.2. ſtum hoc eſt fidei initiatorem, non autem perfectorem agnoſcere: eiq; minus, nobis autem quod maius eſt attribuere.

Argu.4. Denique poſita arbitrij libertate, & conceſſa vel gratiam recipiendi facultate generali Saluator proprius fit qui ſaluatur. Hoc vt intelligatur, actionum particularium cauſas particulares eſſe debere obſeruandum eſt. Dedit Deus creaturæ cuiuis ſpecificam ſuam differentiam, vnde actiones eius creaturæ propriæ procedant. Hinc eſt quod ab vna perficiatur, quod ab alia perfici non poſſit. Vrit ignis, non vrit aqua. Vrit ignis, non quia creatura, ſed quia ignis:

ignis: alioquì & aqua vreret. His obſeruatis ſpecifica iam differentia quærenda eſt, quæ ſaluandos a damnandis prima diſcernit. Quam quæcunque ſit, propriam eſſe ſalutis cauſam nemo qui logicam ſummis labris attigerit, negabit. Deum non eſſe, ex ipſorum conceſſis plus quàm manifeſtum eſt: *Ex æquo omnibus benè vult, alioquin & diſſimulationis arguetur: credituros præuidit, non facit credere: gratiam dat, qua poſſint, ſed & hanc dat ijs qui nolunt.* Chriſtum non eſſe conſpicuum eſt: *Pro omnibus ille ex æquo mortem oppetijt: omnes ex æquo ſaluare intendit, contendit.* Potentiam credendi a Deo datam ſalutis cauſam propriam eſſe quis dicet, quam omnibus cómunem eſſe aſſerunt, quæque ex illorum placito voluntate humana ſuperari poteſt, & impediri? Reſtat adhuc propria cauſa inquirenda, quæ fidei actum eliciat. Eſt autem ſi Arminianis fides ſit; adhibenda, rectus voluntatis vſus, quo gratiam a Deo omnibus oblatam hic recipit, quam alij non minus a Deo adiuti reijciunt. En differentiæ exordium, hactenus enim omnia communia, quæ proprios effectus non

poſſint

poſſint producere. Vbi autem diſcrepantiæ initium poſitum fuerit, ibi propriæ cauſæ ſedem collocari manifeſtius eſt, quàm vt probatione indigeat. Quod enim vtriſque commune eſt, cauſa fidei in vno eſſe non poteſt: in alio ſiquidem eundem produceret effectum, ſi cauſa ſufficiens exiſteret. En iam in homine originalem ſalutis cauſam, quæ fidem generando ſalutem æternam procreat. Atque hæc eſt Theologia Arminiana.

Operæ pretium erit conſequentiarum argutularum telas, quas texunt, nobiſque obijciunt aduerſarij, paulatim retexere. *Si fidem in homine operetur Deus, & ianuam cordis eius diuina potentia aperiat, tum non credit homo, ſed Deus: nec hominis poteſt actio fides dici, ſed Dei.* Mira conſequentia. Deus fidem creat, ergo Deus credit. Mundus Dei opus eſt, ergo Deus Mundus eſt. Deus Angelis obedientiæ gratiam indidit, ergo obedit Deus. Deus Adamo fidem dedit, qua a Deo penderet, ergo fide a Deo pendet Deus. Cor hominis aperit Deus, & cor ſuum aperit homo; ſicut ſcribit puer, cuius manum

num dirigit pædagogus, reuerà tamen pædagogi virtute has literas format: nec enim potentiam credendi ampliorem habet incredulus, quam puer indoctus aptè ſcribendi. Clauem manui infantis indit pater, manum tenet, & ſeram reſerare facit. Puer reſerat, ſed vi paterna penitus, ſua nullatenùs. Deus hominem credere facit, homo autem credit. Dei gratia voluntatem hominis ita roborat, dirigit, determinat, vt non poſſit non credere, volens tamen & lubens, nec coactus, actus tamen credat. Dextrè Auguſtinus: *Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit vt velimus qui operatur in nobis velle.* Ideo *Phil.* 2. 13. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.* Similiter Proſper: *Hac regula nulli hominum aufertur voluntas: quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur vt non ſint, ſed vt ex malis bona ſint.* Ibidem quoque. *Initium ſanctæ voluntatis inſpirat Deus.* Vt & cap. 3. *Undè tam ineptum eſt dicere, quòd quiſquam ad participationem gratiæ tendat inuitus, quàm aſſerere, quód vllus ad eam non Spiritu Dei veniat incitatus.* Concludat

De grat. & lib. arb. c. 16.

Contra Collat. cap. 15.

dat Fulgentius: *Licet noſtra ſit fides, tamen quia iſtam cum habemus, non habemus ex nobis natam, ſed a Deo donatam, ſalubritèr prohibemus in noſtra fide tanquam noſtrum nobis aliquid vendicare.*

De Prædeſt. ad Mon. l. 1.

Sed hiſtrionicè adhuc inſultant aduerſarij. *O vos miri prædicatores, qui etiam mortuis euangelium prædicatis. Mortuos vos vt viuant, hortamini. Annon ridiculum eſſet Chriſtum ad Lazari ſepulchrum conſiſtentem, cum vt reuiuiſceret his verbis hortari. Lazare annon te mortuum eſſe conſideras? Annon præſtat cum viuentibus in terra verſari, quàm cum mortuis in ſepulchro? Annon ſatius eſſet membra integra habere, quàm putredine corrupta deperdere? Quid agas, intende. Virum te præbe. Ex hoc mortalitatis ergaſtulo in lucem redire properato. Abſona ſunt hæc. Talia ſunt quæ vos ſpiritualiter mortuis quotidiè prædicatis.* Sarcaſmus illis Rhetoribus conueniens, *qui ſe omnem gratiam omni tempore (excepta tentatione diuina) habere poſſe iactitent.* Caueant tamen ipſi ne nullam gratiam vllo tempore habuiſſe ſub tentatione diuina depre-

Greuin. vid. Aim. reſcr. contrac. pag. 137.

deprehendantur, qui tam facilem gratiæ diuinæ ianuam hominibus aperiunt. Hi ſunt Paulo non paulo ſapientiores, qui diuinæ prædeſtinationis rationem, quam ſilentio mirabundus Rom. 9. 19. 20. preſſit ille, etiam cuiuis obuiam proponant. *Vidit Deus hunc crediturum ſcilicet, & elegit. Vidit illum non crediturum, & reiecit.* Quid in hoc toto opere aut arcanum aut mirabile, quod tuum diuine Apoſtole captum excederet, cum ex Arminij grege infimus quiſque id te edocere poſſit? Sed quid hos Paulo conferam, qui etiam Chriſto ſapientiores rationem reuelationis diuinæ reddendo ſunt, cuius rationem Math. 11. 25 26. ſolam in Dei beneplacito Chriſtus ipſe collocauit. *Paruuli fuere, ergo hæc ijs reuelauit Deus, quæ ſuperbis etſi prudentibus non reuelauit.* Chriſtus e ſinu patris, cauſam præter Dei beneplacitum non affert. Arminius e terra affert. Vtri creditis? Hi ſunt qui cum ſe orbi terrarum ridendos proponunt, alios tamen ſarcaſticè deridere ſatagunt. Cauete tamen viri prudentiſſimi quem derideatis, & ne in Chriſti contumeliam hæc redundet oratio, diligenter animaduer-

maduertite. Magisne vobis ridiculum eſt Chriſtum Lazarum hortari, quam iubere, vt e ſepulchro exeat? An magis apertæ ad mandata Chriſti, quàm ad argumenta Lazari aures? Si hortari placuiſſet, annon hortando reſuſcitaſſet? Vis non in verbis, ſed in loquente fuit, quæ Lazarum excitauit. Si non credatis, ipſi facite periculum, mortuis imperate, hortamini: videte an verba veſtra mortuos e ſepulcris ſint ſuſcitatura. Sed opem tuam fili hominis iam implorare conuenit. Tu oſſibus mortuis

Ezech. 37. Prophetam agis: hos prout iuſſus es, audire verbum Domini mones. Annon inſanis? Rident Arminiani. Oſſa interim mortua redeunt, conglutinantur, reuiuiſcunt. *Vbi vult, ventus ſpirat,*

Ioh. 3. 8. *ortum eius aut exitum neſcitis, ſed nec ſpiritus operationem.* Stulta vobis ſit

1. Cor. 1. 21. verbi prædicatio: *Deo tamen placuit per hanc prædicationis ſtultitiam credentes ſeruare.*

Ioſh. 6. Iubeat Deus buccinarum arietinarum clangore Ierechuntis muros deijci, deijcientur. Iubeat prædicatione ſpiritualiter mortuos excitari, excitabuntur. Nec nos quia illi vi

Ezech. 37. 7. ſua reſurgere poſſunt, ſed quia iuſſi,

præ-

prædicamus. Nec miraculum in peccatoris conuerſione diffitemur. Si ſputo lutoſo oculos cœci aperire voluerit Chriſtus, quis impedire poterit? Si prædicatione vocare, quis renuet? Sed quò pleniùs diſſipetur obiectum, inter ſpiritualitèr & corporaliter mortuos diſcrimen non inuiti fatebimur. Corporalitér mortuus medicinis aut medijs externis reſuſcitationis vti non poteſt. Spirituali autem morte affectus media illa externa, quibus peccatores excitare ſolet Deus repetitò applicandi potentia non caret. Pedes habet, quibus ad templum ſe conferat. Aures habet corporeas, quibus conſciones audiat. Oculos habet, quibus Scripturas legat. Linguam habet, qua de rebus dubijs interroget. Iuſtè autem pereunt plerique qui ad Iordanem cum Naamane vt lauentur, vt ſanentur, conſtanter accedere renuant. Nec his Deus deeſt, ni ſibi deſint. Propriam ſalutem contemnunt, nec quod poſſunt, faciunt, qui media ſalutis habentes negligunt, & meritò pereunt. Corporaliter mortuus nihil in ſe habet, quod vel monimentum vitæ prioris exiſtat. Spiritualiter

Ioh. 9.

2. Reg. 5.

mortuus ingenita quædam ſcientiæ principia imaginis Dei olim amiſſæ reliquias retinet. Deum eſſe nouit, & colendum eſſe. Animæ immortalitatem, & de vita futura non pauca nouerant ſaniores Philoſophi. His vt præludijs futuri operis, & rudimento inſtructionis & ſubſtructionis ſuæ Deus frequentiſſimè vtitur. Denique corporaliter mortui diſcrimen non admittunt. Nihil habent hi, quod illi non habent, quod quoquo modo reſurrectionem futuram promoueat. At inter ſpiritualiter mortuos magnum eſt diſcrimen. Sunt quædam communia ſpiritus dona quæ etiam in ſpiritualiter mortuos cadunt. Vberrimam habent multi rerum diuinarum ſine morum reformatione ſcientiam. Hinc aliorum informatores fuere, qui ſui non fuere reformatores.

Iudas exemplo ſit inter Apoſtolos numeratus, qui cum pietatem alios doceret, ſeſe non edocuit. Exemplo ſint illi, qui ſpiritus dona et vitæ futuræ virtutes guſtauerant. His prædicare non eſt ſtipites alloqui. Norunt, intelligunt, aſſequuntur quid ſit, quod exigitur; faciendi tamen tam voluntas

Heb. 6.

quàm

quàm facultas deeſt. Hos prædicatio ſaltèm inexcuſabiles reddit, dum ſcientes peccare, videntes perire coarguit. Quod autem coronidis loco ſubiecerim, verbo informationis Deus vbi & quando ipſe vult, adiungit ſpiritum reformationis. Ita *Paulus plantat, Apollo rigat, incrementum autem a Deo expectatur.* Ita *Deo odorem bonum & gratum* reddit verbi miniſterium *in ijs qui ſaluantur, in ijs qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam. Et ad hæc quis idoneus?* 1. Cor. 3.6. 2. Cor. 2. 15. 16.

Adeſte iam omnes liberi arbitrij patroni Pelagianæ, Tridentinæ, ſeu Arminianæ fidei profeſſores. Vos alloquor. Liberi arbitrij veſtri vires in vobis penitius introſpicite. Annon vos ad ſuperbiam adigat, conſiderate, dum quid ipſi poſſitis, velitis, intuemini? Annon alijs vos præferre cogat, attendite, dum vos ab alijs ipſi diſcernitis? Annon ingratitudinis fœcunda mater exiſtat, obſeruate, dum quæ Dei ſunt, facit vobis tribuere, & voluntatem propriam propriæ conuerſionis cauſam propriam, et peculiarem conſtituit. Gre-

uinchouium appello: *Gratia per ſe ſolà non determinat arbitrium, ſed arbitrium determinat gratiam ex ſe ſola indifferentem: ſicut cauſa ſecunda determinat primam.* Nimium erat, quod olim ab errantibus dictum: *Ex nobis eſt fidei cœptum, ex Deo fidei complementum.* Sed nimis nimium, quod nunc defenditur: *Ex Deo eſt fidei cœptum, ex nobis complementum.* Quantò rectiùs Apoſtolus: Chriſtum habemus fidei inceptorem, perfectorem? Miſerè vos miſeram plebeculam deluditis, dum liberi arbitrij opinione inflatos auxilium Dei negligere viuentes, morientes eodem deſtitui procuratis. Satius eſt humanam deprimere, quàm extollere arrogantiam.

Aim. reſc. contr. p. 8.

Heb. 12. 2.

Praua quidem citò fructificant, ſed fertilis arbor
Tardius: vrtica creſcere ſemper habet.

Suſanna Poem. vet. in Bibl. Cotton.

Cauete ne cenſori cuipiam in vitam aut vitia veſtra inquirendi, aut animaduertendi anſam nimiam iniquo hoc dogmate præbeatis. Infirmorum nos miſereri, obſtinatorum tædere ſolet. Qui bene agere cupiant, conentur, gratiæ tamen aſſiſtentia deſtituti, & carnis

carnis infirmitate victi quandoque labantur, eorum omnes non iniquos iudices miſeret, nec potentiæ defectus voluntati tribuitur. Qui verò omnem gratiam omni tempore habere poſſint, & liberum arbitrium poſſideant, horum ſi peccent, neminem miſereſcit. Voluntatis defectum, non potentiæ hæc vitia arguunt. Cenſuram igitur ſeueriorem ſuo iure merentur, flagitant, in ſe prouocant. Ruinæ denique veſtræ ſempiternæ æquitatem omnibus prædicatis, niſi credatis vt ſaluemini: vt præclare in Auguſtini obtrectatorem Proſper.

Dumq́ue doces quantum valeas mens libera, monſtras
Velle tuum tibimet ſufficere vt pereas.

Hanc autem vobis arbitrij libertatem libere concedimus, qua e peccato in peccatum, e terra in infernum quotidiè tendit incredulus. Voluntati

Motus ineſt, non error abeſt. Proſp. de ingratis.

Si arbitrium quod peccati ſeruum eſt, liberum dici mereatur, liberum eſto, vt facetè de Alexandro Lacedæmonij, *Quoniam Alexander Deus eſſe vult, eſto* Aelian. de var. hiſt. 2.

eſto Deus. Sanioris eccleſiæ placita percipite, et quid de his liberi arbitrij ad peccandum viribus patres vobis longe ſanctiores ſenſerint, attendite. Primus audiatur qui primus dici meruit, Auguſtinus? *Voluntas nec libera dicenda eſt, quamdiu eſt vincentibus & vincientibus cupiditatibus ſubdita*. Vt et alibi. *Victa vitio in quod cecidit voluntate, libertate cæpit carere natura*. Secundus citetur Fulgentius: *Liberum eſt arbitrium, ſed non bonum, nec rectum, nec ſanum, nec iuſtum. Et quò magis bonitate liberum, eò magis peccato ſeruum. Liberũ eſt ſine Deo, non ſub Deo, liberum iuſtitia, non ſub gratia*. Vltimus ſententiã dicat Bernardus. *Corruit homo de poſſe non peccare in non poſſe non peccare amiſſa ex toto conſilij libertate*. Vultis etiam quid incredulus gratia oblata, gratia tamen non excitatus agat, intelligere? Proſperum conſulite (cuius adverſus vos et veſtri ſimiles liber de ingratis ſcriptus et inſcriptus eſt)

Epiſt. 144. ad Anaſt.

De Perfect. iuſt. reſp. ad rat. 9.

De incar. Chr. c. 19.

De grat. & lib. arb.

De ingratis.

Quid mirum rabido ſi corde
Phreneticus æger
Morbum amat & pellit
medicum?

Hinc

Hinc ipſam fidem, non credendi potentiam Dei donum, idque ex Dei gratia (vnde & ſalus ipſa) prouenienſ ſcripturæ nuncupant. Creationi denique, & generationi vocationem noſtram, ſeu conuerſionem conferunt. Quid eſt autem, quod creationi, aut generationi ſuæ filius hominis conferre poſſit? Eph. 2. 8. 2. Cor. 5. 17. 1. Pet. 1. 23.

Atque hæc de vocationis modo dicta ſufficiant; ſequitur ſcopus, ſine quo & ipſa vocatio, & ea omnia quæ de vocatione dicta ſunt, ſuperflua exiſtunt. Vno autem verbulo ab Apoſtolo exprimitur. *Sanctis*. Sicut Dei dilectio vocationis eſt origo, ita vocationis ſcopus eſt hominis ſanctitas. *Dilectis Dei, vocatis ſanctis*. Paulum teſtem producamus. *Non ad impuritatem, ſed ad ſanctitatem nos vocauit Deus*. Petrum adiungamus. In hunc finem vocati ſumus, vt Chriſti veſtigijs per patientiam & ſanctitatem inſiſteremus. Veritas hæc vt amplius manifeſtetur, quatuor hæc conſiderationi 1. Theſ. 4. 7. 1. Pet. 2. 21. 22.

Noſtræ ſe ſubijciunt	1. Ex quo 2. A quo 3. Per quod 4. Ad quod	Vocati fuerimus.

Ita

Ita a termino a quo ad autorem, ab autore vocationis ad media, a medijs ad terminum ad quem, ſeu finem deſtinatum progrediemur. Atque hæc omnia vel ſanctitatem ſpirant, vel ad ſanctitatem prouocant. A primo ordiamur.

*Argu.*1. *Ex quo?* Ex impuro iniquitatis ſtatu & fœda corruptionis conditione
Eph. 5. 8. euocamur. *Tenebræ fuiſtis, nunc lux*
1.Cor.6.10. *eſtis in Domino.* Fornicatores, idolo-
11. latræ, &c. ex Corinthijs fuere aliqui, qui poſteà iuſtificationis & ſanctifica-
Sent. Aug. tionis gratiam ſunt conſecuti. *Nume-*
90. *rus ſanctorum de numero auctus eſt im-*
Rom.6.2. *piorum.* Ex Auguſtino Proſper. Fieri
14. non poſſe contendit Apoſtolus, vt peccato iam mortui in peccatis deinceps viuant: idemque peccati dominium in ſanctis extinctum pronuntiat. Non poſſunt igitur qui e peccati ſordibus ſunt euocati, iugumque peccati imperioſum excuſſere, peccato iam amplius operam nauare. Etiamſi poſſent, haud deberent tamen. Quid enim ſtolidius, quam e carcere euocatos in carcerem ſe denuo dare conijciendos? quàm peccati ſeruitio intollerabili liberatos eidem

eidem de integro ſe emancipare?

A quo vocemur, iam inquirit oratio? *Argu.2.*
A Deo puriſſimo, ſanctiſſimo. Vocantem igitur ſanctitate referre vocatos decet, vt a Deo vocatos etiam non vocati percipiant, Deumque vocationis autorem glorificent. Si ad Dei ſeruitium tantùm vocaremur, ſanctitatem etiam illa vocatio requireret. *Domum tuam ſanctitas decet Domine. Coram te mali non ſtabunt.* At in filiorum numerum, ordinemque vocamur. *Peccator populus non poteſt eſſe filius, ſed quibus remiſſa peccatorum datur, eis filiorum nomen adſcribitur*, vt pulchrè Cyprianus. Et paulo poſt. *Quando patrem Deum dicimus, quaſi filij Dei agere debemus: vt quomodo nos nobis placemus de Deo patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis.* Hæc Cyprianus, cui conſentit Saluianus. *Licèt omnes filij membra parentum eſſe videantur, non putandi ſunt tamen membra eorum eſſe, a quibus affectu cœperint diſcrepare: quia morum degenerantium prauitate pereunt in talibus beneficia naturæ. Quò fit vt nos, qui Dei filios nos eſſe dicimus, perdamus vim tanti nominis*

1. Pet. 1. 15. 2. 9.
Pſal. 95. 3.
Pſal. 5. 6.
De oratione Dom.
De guber. Dei. l. 3.
Chriſtianos nos eſſe dicimus. Saluian.

vitio

vitio prauitatis.

Argu.3. Per quod vocamur, iam inquirendum eſt, vt indè ſanctitatis argumenta proferamus. Verbo ſuo nos vocat Deus, eſt autem verbum ſanctitatis doctor, ſuaſor, effector, remunerator. Ioh.17.17. *Sanctifica eos veritate tua: verbum tuum veritas eſt.* Spiritu ſuo nos trahit Deus. eſt autem vt vocatur, ſanctus hic ſpiritus: in corde impuro habitare dedignatur. *In die Pent. ſer. 3.* *Cui proprium eſt peccata repellere, ipſi & proprium eſt peccata odiſſe: nec in vno domicilio pariter morabuntur tanta munditia, tanta immunditia.* Appoſite Bernardus. 1.Cor.6.19. *Corpora veſtra templa ſunt ſpiritus ſancti in vobis habitantis,* inquit Paulus, ſancta igitur eſſe oportet. Vnde fœliciter *De orat. Domini.* Cyprianus, *Conuerſemur quaſi Dei templa, vt Deum in nobis conſtet habitare. Nec ſit degener actus noſter a ſpiritu, vt qui cœleſtes & ſpiritales eſſe cœpimus, nonniſi ſpiritalia, & cœleſtia cogitemus, agamus.*

Argu.4. Ad quod vocamur, reſtat iam conſiderandum. atque hoc ad ſanctitatem eſſe locus ipſe indicat, & alibi totidem 1.Theſ.4.7. verbis fatetur Apoſtolus. Vocamur autem

autem ad ſanctitatem tam iuſtificationis, quàm ſanctificationis poſſidendam. Prioris reſpectu *homines miſericordiæ* lingua ſancta nuncupamur. Dei autem miſericordiam peccato compenſare iniquum eſt. Si peccata tibi a Deo remittantur, a te Dei cauſa dimittantur. *Cuius remiſſa ſunt peccata, ſpiritum dolo vacuum obtinet.* Ad ſanctificationem quoque vocamur tam hìc inchoandam, quàm poſthàc perficiendam. Reſpectu inchoatæ græcè *non terreni* dicimur. Terrenum igitur habere animum ſanctos vocatos, minimè decet. Sanctitatem denique in cœlis perficiendam expectamus, vndè *completi* græco idiomate appellamur. *Non intrabit in cœlum, quicquam quod inquinat. Sine ſanctimonia nemo Dominum viſurus eſt. Ecce qui gerunt molles veſtes, in domibus regum ſunt.* Veſtimenta aſpera, lacera & ſordida peccatorum cœli non decent pallatium. *Margarita pretioſiſſima eſt vita ſanctimoniæ, quæ nos ſanctorum ſimiles, & Dei domeſticos efficit:* Bernardus.

חסידים הסד. *Miſericordiæ.* Inn. Pſ. 32.6.

Pſal. 32.1.2.

Ἅγιος ab *a priuatiuo & γῆ terra.*

Arct. Prob. 2

Τέλειος *a* τέλος *finis, id eſt finem ſuum aſſecutus.* Etymol.

Apoc. 21.17
Heb. 12.14.
Math. 11.8.

De duabus menſis Ser. 2.

Vocatos iam appello. Vocationem veſtram ſanctitate vobis probate, alijs

de

de monſtrate. Titulum vocationis tantùm, vos, ó ſanctorum ſimulachra mera geritis, quibus pura eſt profeſſio, impura conuerſatio. *Nomen ſine actu ſuo, atque officio nihil eſt. Quid eſt aliud ſanctum vocabulum ſine merito, niſi ornamentum in luto?* Salubritèr Saluianus. *Non redimet mores aurea lingua malos.*

De gub. Dei. l. 4.

Poem. de Suſan.

At Angeli non ſumus in terris. Sunt in ſanctis dum in terris agunt, peccati reliquiæ, quæ quandoque etiam vires ſuas exerunt.

Rectè quidèm, ſed illi cum fragilitate carnis in carne viuentes, fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, vtique fieri poſſe docuerunt: maximè quia nec ipſi peccato ſua virtute, ſed Domini miſerantis auxilio reſtiterunt: Egregiè Proſper. Vt & paulò pòſt. *Quid ergo reſponſuri ſunt, ſi eis Dominus dicat, Si potuiſtis, quare non reſtitiſtis deſiderijs peccatorum? Si non potuiſtis, quare meum contra peccatum non quæſiſtis auxilium? aut vulnerati quare pœnitendo non adhibuiſtis vulneri veſtro remedium?* Sanctimoniæ quæſtum reditusque conſide

De vita contempl. l. 3. c. 22.

rate, de quo grauiter Paulus. *A peccato liberati habetis fructum veſtrum in ſanctimoniam : finem autem vitam æternam.* Bernardi commentariolo concludam omnia. *Quid tam longum, quàm quod æternum eſt? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præciditur? Bonus finis vita æterna, bonus finis, qui finem non habet. Et ſane cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt. Amplectamur itaque ſanctificationem, quoniam bona eſt, quoniam finis eius vita ſine fine.*

Rom. 6. 22.

In Pſal 91. ſer. 16.

FINIS.

E AR-

Arminiano-Pelagianiſmi

Epitaphium

In Beati Proſperi imitationem.

ARminiana lues ſucceſſi Pelagianæ
Poſthuma gnata vtero prægenerata ſuo.
Infælix miſera, damnata filia ſectæ
Prodiui: ſectam ſecta ſepulta parit.
Hæc fundare arcem meritis priùs orſa ſuperbis
1. *De capite ad corpus ducere opus voluit.*
Sed mea dum proles in ſumma armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui.
Et conſanguineæ poſt triſtia vulnera fraudis
Aſpera conſerui prælia fine pari.
2. *Me non vna dedit victam ſententia letho,*
Illa volens iterum ſurgere, bis cecidit.
Orſa priùs mecum moritur, mecumq; ſepulchrum
Intrat, & inferni carceris ima ſubit.
Quò nos præcipites inſana ſuperbia merſit
Exutos donis, viribus & tumidos?
Præuiſæ fidei vitam donare volentes
Ecce Deum, in capitis fœdere non ſtetimus.

Speran-

Speranteſque animi de libertate coronam
Perdidimus quam dat gratia, iuſtitiam.
Quique igitur gemina miſeraris buſta ruina,
Ne noſtro exitio conſociere, caue.
Nam ſi quæ Domini data munera ſerò fatemur,
Hac hominis credas vim dare noſter eris.

---

1. Pelagianiſmus a libero arbitrio ad conſequentia deſcendit: Arminianiſmus a conſequentibus ad liberum arbitrium aſcendit.

2. Decretum Synodi Africanæ Pelagianiſmum non penitùs ſuſtulit: nec Arminianiſmum Synodi Dordracenæ decretum. Ibi opus Arauiſcanâ: Hìc Anglicanâ.

FINIS.